

## LIVY AND PATAVIUM

### 1. The Antenor Legend

Antenor potuit mediis elapsus Achivis  
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus  
Regna Liburnorum et fontem superare Timavi,  
Unde per ora novem vasto cum murmure montis  
It mare proruptum et pelago premit arva sonanti.  
Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit  
Teucrorum et genti nomen dedit armaque fixit  
Troia, nunc placida compositus pace quiescit.

VIRGIL, Aeneid i, 242-249

(The Liburni lived in northern Dalmatia: Timavus is the Timao, a small river flowing into the Adriatic between Aquileia and Trieste).

### 2. The Horses of the Veneti

See Alcman (fl. 630 B.C.): Hagesichora (Oxford Book of Greek Verse No. 114).

### 3. Patavium's Resistance against Cleonymus, 302 B.C.

See Livy X:ii, concluding with the personal observation:

Rostra navium spoliaque Laconum in aede Iunonis  
veteri fixa multi supersunt qui viderunt Patavi.  
Monumentum navalis pugnae eo die quo pugnatum est  
quotannis sollemne certamen navium in flumine oppidi  
medio exercetur.

### 4. Roman Intervention in 175-174 B.C.

Consules votis in Capitolio nuncupatis in provincias  
perfecti sunt. Ex iis M. Aemilio senatus negotium  
dedit ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret,  
quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse  
et ipsorum legati attulerant. Legati qui in Aetoliam  
ad similes motus comprimendos ierant renuntiarunt  
coerceri rabiem gentis non posse. Patavinis saluti  
fuit adventus consulis; neque aliud quod ageret in  
provincia cum habuisset, Romam redit.

LIVY XLI: xxvii: 3-4

### 5. Patavium's opposition to Antony

Et ut omittam reliquas partis Galliae - nam sunt omnes  
pares - Patavini alios excluserunt, alios eiecerunt  
missos ab Antonio, pecunia, militibus, et, quod maxime  
deceat, armis nostros duces adiuverunt.

CICERO, Philippic XII: 4 (10)

### 6. Her Treatment by C. Asinius Pollio

Asinio etiam Polliane acerbe cogente Patavinos ut  
pecuniam et arma conferrent, dominisque ob hoc  
latentibus, praemio servis cum libertate proposito  
qui dominos suos proderent, constat servorum nullum  
victum praemio dominum prodidisse.

MACROBIUS, Saturnalia I:xi:22

7. The wealth of Patavium

These cities, then, are situated considerably above the marshes; and near them is Patavium, the best of all the cities in that area, since this city by recent census (prob. A.D. 14), so it is said, had 500 men of equestrian status, and also in ancient times used to send out an army of 120,000 men. And the quantities of manufactured goods which Patavium sends to Rome to market - clothing of all sorts and many other things - show how well supplied it is with men and how skilled they are. From Patavium you can sail 250 stades up the river which runs through the marshes, starting from a large harbour: the harbour, like the river, is called Medoacus.

STRABO, Geography V:i:7 (C.213)

8. Patavium's Manners

(Minicius Acilianus) habet aviam maternam Serranam Proculam e municipio Patavio. Nosti loci mores: Serrana tamen Patavinis quoque severitatis exemplum est.

PLINY (the Younger), Epp.I:xiv:6

9. Livy and Claudius

(Claudius) historiam in adolescentia hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavio etiam adiuvante, scribere adgressus est.

SUETONIUS, Vita Divi Claudii xli,1.

10. His views on Julius Caesar . . .

Nunc quod de Caesare maiore vulgo dictatum est et a Tito Livio positum in incerto esse utrum illum magis nasci an non nasci reipublicae profuerit, dici etiam de ventis potest.

SENECA (the Younger), Quaestiones Naturales V:xviii:4

11. . . . tolerated by Augustus

Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit ut Pompeianum eum Augustus appellaret; neque id amicitiae eorum offecit.

TACITUS, Annals IV:34

12. Livy's Attitude to his Work

Et profiteor mirari T. Livium, auctorem celeberrimum, in historiarum suarum quas repetit ab origine urbis quodam volumine sic orsum: satis iam gloriae quaesitum, et potuisse se desiderare, ni animus inquires pasceretur opere. Profecto enim populi gentium victoris et Romani nominis gloriae, non suae, composuisse illa decuit; maius meritum esset operis amore, non animi causa, perseverasse, et hoc populo Romano praestitisse, non sibi.

PLINY (the Elder), Hist.Nat., Praef.16

13. His Style not suitable for imitation by Orators

Itaque, ut dixi, neque illa Sallustiana brevitatis, qua nihil apud aures vacuas atque cruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus iudicem et saepius ineruditum captanda nobis est, neque illa Livi lactea ubertas satis docebit eum qui non speciem expositionis sed fidem quaerit.

QUINTILIAN, Institutio Oratoria X:i:32

14. His "Patavinitas"

(a) Verba aut Latina aut peregrina sunt. Peregrina porro ex omnibus prope dixerim gentibus ut homines, ut instituta etiam multa venerunt. Taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque; nam ut eorum sermone utentem Vettium Lucilius insectatur, quemadmodum Pollio reprehendit in Livio Patavinitatem, licet omnia Italica pro Romanis habeam. Plurima Gallica cvaluerunt ut raeda ac petorritum, quorum altero tamen Cicero altero Horatius utitur.

QUINTILIAN, Inst.Orat. I:v:55-57

(b) Multos enim, quibus loquendi ratio non desit, invenias quos curiose potius loqui dixeris quam Latine . . . Et in Tito Livio, mirae facundiae viro, putat inesse Pollio Asinius quandam Patavinitatem. Quare, si fieri potest, et verba omnia et vox huius alumnus urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata.

QUINTILIAN, Inst.Orat. VIII:i:2-3

15. His Greatness as an Historian

At non historia cesserit Graecis. Nec opponere Thucydidi Sallustium vereor, nec indignetur sibi Herodotus aequari Titum Livium, cum in narrando mirae incunditatis clarissimique candoris, tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata sunt: adfectus quidem praecipueque eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis.

QUINTILIAN, Inst.Orat.X:i:101

16. An Early Epitome of his Work

Pellibus exiguis artatur Livius ingens,  
quem mea non totum bibliotheca capit.

MARTIAL, Epigram XIV, 190